

net, & in perfectione sua impedit : iccirco etiam , iuxta peregrini illius sulphuris speciem, diuersa metalla generantur : quemadmodum enim Aristoteles 4. Meteor. ait: Si argenti viui natura essentia bona , & comburens sulphur impurum est, tunc in cuprum illud commutat : Sin vero argentum viuum lapidosum, impurum , & terrenum erit, & sulphur itidem impurum siet, tunc ferrum fit exinde. Apparet tamen, quasi stannum bonum purumq; argentum viuum, ast malum, maleque mixtum sulphur habeat. Plumbum autem crassum , malum, ponderosum, glutinosumque argentum viuum, malumque , insipidum, fœtidumque sulphur habet, iccirco etiam minus libenter sese coagulari patitur.

Impedimentosum , comburens , & fœtidum sulphur vero non verus est ignis, qui metalla plane coquit, sed argentum viuum proprium suum sulphur habet , quod illud perficit , veluti Bernardus , Comes à Trygene ait: Multi existimant, quod in generatione metallorum sulphurea quædam materia accedit: verum, vice versa, notorium est, quod in argento viuo, dum Natura operatur, peculiare suum sulphur inclusum sit : quod tamen in eo non dominatur, nisi per calidum motum , per quem dictum istud sulphur , & simul alteræ duæ Mercurij Proprietates transmutantur, atque hac ratione in aliis terræ distinctis metallis generantur. In metallis siquidem, quemadmodum Arnoldus, in suo Rosario cap. I. affirmat, duplex est superfluitas : Vna quidem in argenti viui interiori essentia ipsa conclusa est, quæ in illius essentiæ principio sese cum illa miscuit : Altera autem, quæ extra naturam suam accedit illudque corrumpit. Ethæc quidem

vix